

VI. Inter recentiores AA. controversum est num liceat **fecundatio artificialis**, qua scil. legitimi mariti semen artificiali methodo injiciatur vaginae uxoris quae conceptionis capax sit, dum maritus, quacumque demum ex causa, incapax sit copulae rite peragenda. Sed jam litem diremit S. Inqu. quae 24 Martii 1897 interrogata: "An adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio?" respondit: "Non licere." Hac responsione certo reprobatur methodus communiter adhibita, vid. ut vir incipiat solus effundere semen: quod vasculo exceptum medicus, ope syphunculi, in mulieris organa infundit. Profecto potissima reprobationis ratio est: non obtineri finem bonum nisi per medium intrinsece malum, nempe per pollutionem directe voluntariam. Non censem tamen hoc S. Inqu. responso illicitam declarari praxim multo rariorem quorundam medicorum qui, praehabita copula naturali, virile semen ex ipso femineo vase hauriunt, haustumque in uteri profundum projiciunt. Haec enim non est proprie dicta artificialis fecundatio, et, quamvis facilem ansam abusibus praebet, intrinseca pollutionis malitia caret: quare eam omnino licere asserunt AA. qui (ut Eschbach, p. 70 seqq.) proprie dictam artificialem fecundationem semper reprobarunt.

§. 2. QUAENAM INSUPER LICEANT CONJUGATIS PRAE SOLUTIS.

546. I. Liciti sunt conjugibus quilibet **actus impudici imperfecti**, sive mutui sive solitarii, qui necessarij sunt vel utiles ad copulam facilius vel plenius exsequendam: cui enim licet finis, licent et media naturaliter ad finem ordinata.

Hinc iisdem licet se ad copulam excitare tactibus, osculis, aspectu, amplexu, verbis obscenis. Licet quoque mulieri, quae nondum plenam resolutionem naturae nacta est, sibi hanc plenam voluptatem tactibus procurare, postquam vir semen effudit. Haec enim plenior satisfactio est naturale conjugalis actus complementum, ad quod uxor ex ipso matrimonio jus habet; deinde verisimile est hanc humorum effusionem e qua plena illa resolutio nascitur, aliquid conferre ad generationem juvandam. (S. Alph. n. 919; Capellm. p. 138 seqq.) Idem feminae licitum putamus etiamsi vir copulam onanistice peragat: nam non apparet quare ipsi, ob culpam mariti, prohibenda sit plena voluptas ad quam jus habet et a qua appetenda, post tantam excitationem, aegerrime abstinere. Insuper ita confert quidquid potest ad juvandam generationem, si forte (ut contingit) aliqua pars seminis, praeter mariti voluntatem, in vaginam penetraverit. (Capellm. p. 140; Berardi, Prax. Conf. n. 1037)

II. Liciti sunt conjugibus **actus imperfecti mutui**, etiamsi ad copulam non ordinantur, modo adsit justa causa, ex. gr. mutuus amor fovendus, nec praevideatur pollutionis periculum; si vero justa causa defuerit, venialem culpam non excedunt. (S. Alph. n. 933; Ball. P. n. 609) Ratio est quod, cum conjuges artissima societate inter se uniantur et saepe tamen a coeundo prohibeantur, ipsi jugibus periculis essent expositi si hujusmodi actus imperfecti ipsis essent sub gravi prohibiti. Ergo existimandum est hos actus, accedente justa causa, per societatem conjugalem cohonestari.

Ubi vero ex iisdem actibus imperfectis periculum pollutionis in alterutro conjugue praevideatur, dissident AA. Satis probabilem existimamus sententiam plurium gravium scriptorum, ut Sanchez (l. 9. disp. 45. n. 35 seqq.), Sporer (de Matr. n. 500), Ball. P. (n. 609): hos actus tum in petente, tum in reddente, culpa saltem gravi vacare, dummodo actus hujusmodi non sint adeo turpes ut censendi sint *inchoata pollutio*, neque adsit periculum proximum consensus in pollutionem, et modo detur aliqua gravis causa talem tactum adhibendi. Ratio est, quod cum hi actus generice non sint inter conjuges illiciti (I), gravis causa eos cohonestat, quemadmodum inter solutos culpa vacat tactus in se licitus, etsi pollutio praevideatur, dummodo sit ob aliquam causam necessarius et desit periculum consensus. (Vol. I. n. 398)

Excipiuntur actus adeo turpes ut censendi sint pollutio inchoata: quia qui tales voluntarie ponit, implicite vult ipsam pollutionem, extra copulam (ut supponimus). Ad hanc sententiam melius applicandam, haec juvabunt:

1° Saepius in reddente quam in petente habebitur gravis causa hujusmodi actus ponendi. Haec tamen etiam in petente adesse poterit, puta ad fovendum amorem mutuum, praesertim quando copula haberi nequit, ex. gr. ob senis decrepiti impotentiam, vel periculum mortis quod mulieri ex partu imminet.

2° Plurimi conjuges non deprehendunt peccatum in delectatione quam sumant in pollutione quae ex actibus imperfectis, praeter eorum intentionem, sequatur. Quare generatim non expediet eos de hoc gravi peccato monere, cum plerumque is tantum monitionis fructus existeret ut peccata materialia in formalia mutarentur. (Lehm. II. n. 863)

3° Paucae sunt actiones quae pro omnibus censendae sint inchoata pollutio, cum etiam turpissimarum influxus quandoque plurimum minuatur ob consuetudinem, complexionis frigiditatem, etc., praesertim quando obiter et sine mora fiunt. Sic plures (Ball. P. n. 617) probabiliter censent virum qui obiter pudenda in os uxoris immittit, quandoque immunem esse a peccato saltem mortali. Ideo confessarius ab uxore interrogatus num haec pati possit, hortetur eam ut, quantum

potest, maritum a tali turpitudine deterreat; gravem tamen obligationem non imponat.

**547. III.** Probabiliter (Sanch. l. 9. disp. 44. n. 16; Ball. P. n. 611) a gravi culpa immunes sunt **tactus turpes** quos conjux **secum ipso** habet, sine intentione copulae, sed secluso proximo pollutionis periculo. Nam natura sua ad copulam referuntur, ac proinde statu conjugali cohonestari videntur; venialem tamen culpam constituunt, quia otiosam excitationem continent. Merito tamen contrariam sententiam S. Alph. (n. 936) probabiliorē vocat: quia non apparet quare jus copulae habendae cohonestet actus solitarios, quando copula diserta intentione se mere solitarie tangentis excluditur.

**IV.** Probabilius culpa vacant in conjugatis **delectatio morosa** de copula habita vel habenda atque ejusdem **desiderium**, etiamsi ex iis voluptas venerea oritur, secluso tamen proximo pollutionis periculo. Ratio est, quod " non potest esse gravius peccatum consensus in delectationem quam consensus in actum. " (S. Th. de Malo, q. 15. a. 2. ad 17) Hic autem actus est prorsus licitus. (Ball. P. n. 612)

**548. V. Graviter illiciti** manent conjugatis: 1<sup>o</sup> Actus turpes cum tertio exerciti, ut per se patet. — 2<sup>o</sup> Actus solitarii quibus inducitur pollutio vel proximum pollutionis periculum. Etenim seminis effusio extra legitimum conjugii usum positive adversatur institutioni naturae requirentis ut semen generationi prolis destinatum intra vaginam muliebrem effundatur. Idem dicendum de pollutione feminea. (Vol. I. n. 396) — 3<sup>o</sup> Actus mutui quibus semen extra vas debitum profunditur, vid. per sodomiam imperfectam (Vol. I. n. 402) vel onanismum: de quo, propter rei momentum, distincta paragrapho dicemus.

**VI.** Ex praedictis tamquam **regula summaria** haberi potest: inter conjuges licere quaecumque generationi favent; graviter illicita esse ea tantum quae eidem positive adversantur; quae eidem neque favent, neque adversantur, summum venialia esse peccata, a quibus etiam excusatur pars quae hujusmodi actus tantum reddit, quia eos sine compartis offensione omittere nequit. Hanc regulam confessarius proponere potest conjugatis, qui circa turpiora quae inter se agant anxietate premuntur; ab ulterioribus autem interrogationibus circa speciem facti omnino absteat, immo plerumque talia sponte explicantem silere jubeat, cum hujusmodi sermo sanctitatem sacramenti plurimum dedecet.

Puellam interrogantem quid sibi in matrimonio mox contrahendo

liceat, jubeat confessarius interrogare matrem vel aliam consanguineam cui fidere possit; quodsi nullam hujusmodi feminam praesto habeat, jubeatur marito morem gerere; si maritus quid postulet quod ipsa illicitum putet, eum deprecetur ne id a se exigat; instanti autem marito nihilominus pareat donec confessarium interrogare possit. (Gobat, Exper. Theol. tr. 10. cas. 17. n. 648 seqq.)

### § 3. DE ONANISMO CONJUGALI.

**549. I.** Onanismi nomine a Theol. designari solet peccatum conjugum qui naturalem copulae ordinem voluntarie ita pervertunt, ut ex effuso semine generatio sequi non possit. Id autem contingit pluribus modis, qui tamen omnes eadem morali deformitate foedantur: vid. saepius vir, ineptam copulam abrumpens, semen extra vaginam muliebrem effundit; quandoque etiam membrum virile involucro quodam circumdatur, ita ut semen, licet in vagina effundatur, mulierem fecundare nequeat. Alias mulier eundem finem prosequitur lotionibus uteri vel vaginae brevi post coitum peractis ad semen expellendum. (1)

Nomen huic peccato accessit ab Onan qui " introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. " (Gen. XXXVIII, 9) (2) Sed crebro poenitentes et medici onanismi voce solitariam pollutionem designant.

**II. Malitia** hujus peccati in eo est quod effusio seminis fine suo naturali frustratur, ac proinde, licet vir uxore sua utatur ad effusionem provocandam, copula onanistica aequivalet pollutioni directe voluntariae: haec autem est semper intrinsece et graviter mala. (Vol. I. n. 395) Insuper hujusmodi abusus finem primum conjugii prorsus tollit ideoque, ex natura sua, ad interitum generis humani tendit. Quare

(1) Ut hujusmodi lotiones, etiam cum mera aqua, fiant sine periculo expellendi seminis, Dr. Surbled (*Vie sexuelle*, p. 71) requirit duodecim horas post ultimam copulam; alii tamen peritissimi medici existimant, quasdam horas, puta tres vel quattuor, sufficere. Nihil vero ad semen expellendum confert quod mulier, statim post copulam, surgat vel mingat: quare, si quando poenitens se de talibus conatibus accusaret, monenda esset eos esse plane irritos ac proinde nihil illiciti in hac agendi ratione per se reperiri. (Capellm. p. 136)

(2) Hodie haec nefaria praxis saepe vocatur Malthusianismus, ab Æconomista quodam Anglo, nomine Malthus, qui anno 1798 scribere coepit de mediis impediendi nimiam hominum multiplicationem: quamquam ipse, in hunc finem, abstinentiam a matrimonio ineundo, non autem conjugalem onanismum commendavit.

manet semper graviter malus onanismus, licet in quadam societate domestica vel politica per accidens quaedam bona gignere posset. Hanc onanismi malitiam clariori in luce collocarunt plura S. Sedis documenta, quorum quaedam infra allegabuntur.

Hinc tamen minime concludendum est semper peccare conjuges qui copulam inceptam abrumpant. Licite enim eam abrumpunt si quando justa ratio ex improvise adest, ex. gr. tertii adventus, vel etiam si fit ex communi consensu, neque datur periculum effundendi semen extra vas: nam, secluso tali periculo, incepta copula similis est tactui verendorum, qui inter conjuges licitus est. Idem videtur dicendum si identidem, praeter intentionem, effusio seminis, abrupta copula, sequitur (Diana, t. 2. tr. 6. resol. 205. n. 2; Ball. P. n. 613), dummodo adsit justa causa, neque sit periculum consensus in pollutionem. Cfr. n. 546. II. Attamen, ut notat S. Alph. (n. 918), incepta copula habenda est tamquam pollutio inchoata, nisi forte experientia conjuges docuerit eam pro ipsis raro trahere secum pollutionis periculum.

Adverte jam nullum esse locum quaestioni quam veteres (S. Alph. l. c.) agitabant de femina, quae se a seminando retrahat: siquidem constat hanc qualemcumque mulieris seminationem nullatenus ad generationem requiri. (Vol. I. n. 387. II)

**550. III. Vir onanista** absolvi nequit antequam serio proposuerit ab hac perversa consuetudine abstinere: quatenus autem ipsi post plures relapsus emendationem promitti credendum sit, colliges ex dictis n. 370. Idem dicendum de uxore quae semen lotionibus expellere nititur.

**Uxor viri onanistae** imprimis interroganda est num forte maritum directe vel indirecte, puta querelis de partus doloribus et periculis, de puerorum molestiis, etc., ad hanc damnabilem praxim impulerit: manifeste enim oportet ut a talibus suasionibus absteat, ne peccato viri participet. Insuper interdum suaviter maritum impellere debet ut copulam rite perficiat, vel (si gravis ratio obstat, puta extraordinarium partus periculum) ab eadem penitus absteat. Ab hac tamen hortatione abstinere poterit, si maritus jam satis novit invitum uxoris animum et omnino in peccato perseveraturus cognoscitur: ad inutilem enim correptionem faciendam nemo tenetur. (Vol. I. n. 219)

Nulla jure prohibetur quominus uxor, quae se ita invitam ostenderit, *debitum reddat* viro copulam inchoanti et abrumpenti: quia uxor dat operam rei licitae, nec propter viri malitiam jure suo privari debet. In hunc sensum etiam respondit S. Poenit. 1 Febr. 1823. Neque ad debitum reddendum requiritur causa gravis, cum uxor nullatenus rei malae cooperetur (Vol. I. n. 233. V) vel, si vis, semper aderit talis causa, cum sit magna molestia et periculum uxori regulariter rejicere mariti postula-

tionem. Immo uxor a viro onanista *debitum petere* potest, dummodo adsit justa causa, puta si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari jure suo petendi plus quam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit grave incommodum necne tunc se continere. (S. Alph. n. 947)

Theoretice uxor debitum nec reddere, nec petere potest, quando vir involucro utitur: quia tunc ab initio actus illicitus est. (Lehm. II. n. 858; Berardi, Prax. Conf. n. 994) Practice, neque de tali turpitudine interrogandae sunt uxores, neque discrimen hoc sponte aperire solent.

Tandem adverte non statim damnandas esse uxores quae se accusent, quod de prava consuetudine mariti onanistae gavisae sint. Gaudium enim istud prorsus innoxium esse potest, siquidem non raro fertur in voluptatem quae copulam comitatur et licita est perinde ac operatio mulieris cui adnexa est, vel in effectus bonos qui peccatum mariti subsequuntur, ex. gr. immunitatem a doloribus et periculis partus. (Vol. I. n. 171) Hoc tamen gaudium de effectibus bonis caute fovendum est, ne transeat in desiderium perseverandi in consuetudine onanismi.

**551. IV.** Cum longe lateque sparsa onanismi consuetudo maximas molestias confessario procreare soleat, quaedam **practica monita** hic subjiciemus:

1<sup>o</sup> Nihil interrogandum est de hac consuetudine, nisi adsit fundata suspicio hos poenitentes determinatos huic peccato indulgere. In hunc sensum S. Poenit. 8 Jun. 1842 (ap. Gury, II. n. 930) respondit: "Confessarius revocet in mentem adagium illud *sancta sancte esse tractanda*, atque etiam verba perpendat S. Alph. de Lig.: Circa autem peccata conjugum respectu ad debitum conjugale, ordinarie loquendo, confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit... De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit." Iterum 10 Mart. 1886 interrogata: "Quando adest fundata suspicio, poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a *prudenti et discreta* interrogatione abstinere eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse? Annon potius teneatur confessarius prudenter ac discrete interrogare?" respondit: "Attento vitium infandum de quo in casu late invaluisse... ad 1<sup>um</sup> *regulariter* negative ad primam partem, affirmative ad secundam." (Buccer. Enchir. p. 246) Ex hoc responso patet, quod principiis generalibus de obligatione interrogandi conforme est (n. 361. II), interrogandos esse poenitentes ubi probabile est eos deficere in accusando onanismo, cui reapse vacaverint, neque ab iis interrogationibus abstinendum esse, ubi malum illud late serpit, quia plures praevidentur a bona fide deturbandi, siquidem, regulariter omissis inter-

rogationibus, multorum confessiones incompletae manerent, neque communi malo remedium afferetur. Attamen ejusdem responsi tenor satis indicat in hoc interrogandi officio plures dari exceptiones. Quare cum AA. optimis et recentissimis (Ball. P. n. n. 448 ; D'Annib, III. n. 469. nota 9) existimamus hic quoque applicari posse regulas generales de interrogationibus et monitionibus, datas n. 358 seqq., ideoque poenitentes a bona fide non esse deturbandos, quando satis liquet unicum fructum fore animarum perditionem. Neque talis praxis communi bono nocebit : nam pauci in errore vere invincibili de malitia onanismi versantur, cum in iis regionibus in quibus tam late invaluit ille abusus, passim tum libris, tum ephemeridibus pessimus ille mos vituperetur. Ceterum huic malo, quatenus praecise commune est et ipsi reipublicae, propter magnum onanistarum copiam, perniciosum, medendum est potius publicis scriptis et reprehensionibus, quam monitis confessariorum. Hi enim, imprimis singulorum poenitentium animae prospicere, neque eos maximo detrimento quod e desertis sacramentis passuri sint exponere debent, nisi ex omissa interrogatione vel monitione de peccati hujus gravitate praevideatur secuturum magnum commune damnum, utputa si passim omnes ex absolute publico onanistae data in hoc malo patrando confirmarentur.

2º Quandoque occurrunt poenitentes qui monenti confessario iterum iterumque respondent se non posse in animum suum inducere mortalem onanismi reatum, praesertim quando gravissimas causas habent abstinendi a copula, puta quia medicus declaravit vel experientia ostendit novum partum fore valde periculosum uxori, jam liberis onustae ; ipsi autem, ad venerea valde propensi, actibus imperfectis contenti esse moraliter nequeant. Cum hujusmodi hominibus, praesertim si ex reliqua vita sat boni christiani esse dignoscuntur, prudenti dissimulatione uti posse confessarium opinamur. Sicut nequit onanismum tunc positive permittere, ita ab eodem sub poena denegandae absolutionis huic homini interdicens abstinere posse videtur.

3º Quo planiorem viam sternat iis qui ob gravia obstacula a copula rite perficienda adhorrent, eos prudenter moneat non esse ipsis omnimodam castitatem cum uxore servandam, sed licere actus imperfectos, prout supra expositum est. (n. 546) Id tamen non est extendendum ad ipsam copulam incipiendam et, antequam proximum sit pollutionis periculum, abruptam : nam generatim multo minore pugna resistetur concupiscentiae qua conjux ante copulam urgeatur, quam desiderio pollutionem perficiendi post abruptam copulam. Non est tamen fides deneganda iis qui interdum se contrarium expertos esse perhibent.

4º Nihil graviter pravum agunt conjuges qui, spe vitandae prolis numerosioris, a copula abstinere eo tempore quo, e quorundam senten-

tia, major est fecundationis probabilitas, vid. quattuordecim diebus integris a coepta menstruatione ; neque prohibetur confessarius quominus eam praxim caute insinuet conjugibus quos frustra alia ratione ab onanismo retrahere tentaverit. (S. Poenit. 16 Jun. 1880 ; Buccer. Enchir. p. 245) Id tamen raro a confessario innuendum censemus, quia hanc partialem abstinenciam inefficacem esse ad finem intentum certo obtinendum, experimento comprobatur. (Eschbach, op. cit. p. 81 ; Surbled p. 55 seqq. ; von Olfers, p. 70) (1) Igitur si quando sperat confessarius consilio isti obtemperatum esse onanistam, hanc praxim proponat tantum ut medium quo, juxta multos peritos, minuat fecundationis probabilitas. Ceterum non solent onanistae huic consilio multum fidere.

5º Omnes onanistas ad fiduciam majorem in divina Providentia erigat confessarius : apud multos enim haec infanda consuetudo potissimum e timore inopiae vel angustioris fortunarum condicionis oritur. Eos qui reatum onanismi in dubium vocare videntur, breviter doceat quomodo adversetur primario fini matrimonii, et potissimum jubeat perpendere quantum animae suae noceant dum praxim crebro et aperte ab Ecclesia damnatam amplectuntur. Quandoque etiam utiliter innuet medicos nimis prope mortem ex praegnatione secuturam praecinere mulieri, quae (ut interdum contingit) felicem partum postea enititur. Vix quidquam proficiet allegando mala quae ex onanismo in universam societatem fluunt, vel detrimenta quae saepe, ex hac violenta naturae inversione, patitur utriusque conjugis valetudo : haec enim, quamvis verissima sint, non deterrebunt ab hac perversa consuetudine conjuges qui gravis peccati timore ab eadem retrahi nequeant. (2)

#### § 4. DE OBLIGATIONE DEBITI CONJUGALIS.

552. I. Uterque conjux obligationem habet, natura sua gravem, reddendi debitum comparti quae illud tam serio et instanter petit ut pateat eam non nudum desiderium manifestare, sed jus suum urgere velle.

(1) Testatus est mihi peritissimus medicus se viginti quinque annorum experientia ad hanc persuasionem ductum esse : quolibet tempore aequalem esse fecundationis probabilitatem. Atque etiam ii physiologi qui quindecim dies a coepta menstruatione magis aptos esse conceptioni existimant, fatentur aegre per experientiam aliquid prorsus certi de hoc argumento in specie humana colligi posse, cum tam obscurum esse soleat a qua praecise copula secuta sit impraegnatio. (Béclard, op. cit. p. 662)

(2) De his videsis Dr. Bergeret, *Des fraudes dans l'accomplissement des fonctions génératrices, causes, dangers et inconvénients pour les individus, les familles et la société, remèdes.* (Paris, 1877)